

N.B. Ce texte, très particulier (Balde s'attache ici à redonner vie au dialecte Osque, à partir du peu que Pompeius Festus nous a transmis de l'oeuvre du grammairien M. Verrius Flaccus) n'est pas présenté ici sous sa forme complète : les passages explicatifs en prose, certaines séquences problématiques ont été coupés.

PROLUSIONES SIVE INVESTIGATIO HIPPOCRATES-OSCO-CRENAE FONTIS...  
DIALOGI AD THALEIAM, INTER NOVENI MUSAS QUARTAM.

DIALOGUS PRIMUS.

AUCTOR.

O1\_1 v.1 Ex quo me lyricis vatibus inseri  
2 jussit, qui citharam numine temperat,  
3 o formosa Thalia,  
4 numquam me puduit tui.

THALEIA.

5 Ex quo Teutonicis vatibus inseri  
6 persuasit Macies turpis et improba,  
7 o perjure poeta,  
8 semper me puduit tui.

AUCTOR.

9 Tam crudele nefas est, Alemannicis  
10 inflexisse modis artem Heliconiam !  
11 Quid tantum pia siccis  
12 peccavit Macies genis ?

THALEIA.

13 Cur non et Furias, monstraque sub Styge,  
14 Curasque, Eumenidesque, et rabidam Famem,  
15 cur non integra pallens  
16 laudas agmina februm ?

AUCTOR.

17 Atqui inter socias tu gracilis quoque  
18 regnas quarta Deas : pinguis et ingeni  
19 contemnis, scio, sumen,  
20 et versum teretem probat.

THALEIA.

21 Idcirco fidibus, quas tibi Teius,  
22 me praesente, dedit noster Anacreon,  
23 vates barbarus uti  
24 ad vernacula debuit !

AUCTOR.

25 Sermonem patriae, lux mea, barbarum  
26 voces horridae trudere Thraciae ;  
27 quo Romana perorat

28                   majestas ; cave, dixeris.  
                     THALEIA.

29           Hem ! quam te fragili protegis Aegide !  
 30           Multis non opus est. Sacrilega manu  
 31                   quisquis sacra prosanat,  
 32                   ut tu barbita, sit sacer.  
                     AUCTOR.

33           Exspecto retegi grande piaculum ;  
 34           cujus si fuero, judice me, reus ;  
 35                   mille in frusta secandum  
 36                   Musarum orgia differant.  
                     THALEIA.

37           O Fatum merite et vulnera Pentheos.  
 38           Delphorum Tripodem qui violaveris ;  
 39                   plebeiaque culinae  
 40                   ollis miscueris nigris !  
                     AUCTOR.

41           Si non indecori carmine luserat  
 42           Germanus ; Latium si quoque provocet ;  
 43                   (mussat Fama) clienti  
 44                   cur irasceris ? Obsecro.  
                     THALEIA.

45           Huc ventum est igitur, turpiter impudens ;  
 46           effrenes animos ut soluas palam !  
 47                   O Busiridis ara, et  
 48                   scalis digne Gemoniis.  
                     AUCTOR.

49           Ut semper lepidus, femina doctior,  
 50           sexus bile tumet, lege superbiae !  
 51                   Ut mox tota in amaro  
 52                   fermento es, mea Pieri !  
                     THALEIA.

53           Irritas etiam ! Cui patientia  
 54           inter tot stimulos duret aheneae !  
 55                   Ad praesaepia Martis,  
 56                   ad nigras pecudes abi.  
                     AUCTOR.

57           Sed quid si redeo, Lux mea, tristior,  
 58           promittoque manu supplice neniam,  
 59                   emendare paratus  
 60                   naevos, qui tibi displicent.  
                     THALEIA.

61           Quamquam non gravior pumice, et aesculo  
 62           es multo horridior ; statque fides loco,  
 63                   quo nec futile vitrum :  
 64                   si purgas animum, redi.

DIALOGUS SECUNDUS.

                    AUCTOR.

01\_2    v.1    Sincera si me Castalidum datae  
                   2    fides priori restituit loco ;  
                   3    amoris exorare pignus  
                   4    Pace tua liceat, Thalia.  
                     THALEIA.

                  5    Quamquam bis geminos servo biverticis

6 Parnassi scopulos : propterea mihi  
7 non est lingua bisulca ;  
8 nec mens, aut animus duplex.  
AUCTOR.  
9 O ergo fontem, quem Pater Ennius,  
10 et tussientis pulmo Laberii ;  
11 quem cana libavit Vetustas :  
12 Virgo mihi generosa, monstra.  
THALEIA.  
13 Queis desideriiis, ah miser, aestuas ?  
14 Praegnantes veluti pica coquit sua.  
15 Mentem prava cupido  
16 atra compede fascinat.  
AUCTOR.  
17 Haurire lymphas (urit enim sitis)  
18 hinc optem, et Osco more seniliter  
19 bacchari, et antiquos caducis :  
20 eruere ex tumulis poetas.  
THALEIA.  
21 Malis labra sacro tingere flumine,  
22 quod fixa elicuit Pegasus ungula.  
23 Ut spumis Aganippe  
24 nostras subsiliens fremit !  
AUCTOR.  
25 Quam dulce Flacci mi sapiat merum,  
26 scis ipsa. Sed nunc Pacuvii scyphos  
27 orexis Attellana suadet,  
28 et tepidam Matii lagoenam.  
THALEIA.  
29 Verbo : semper amas devia. Niteris  
30 praeceps in vetitum. Si lituos feram  
31 Enni : fer mihi, dices,  
32 claram Virgilii tubam.  
AUCTOR.  
33 O Diva, numquam senseris amplius  
34 inobsequentem (juro per igneas  
35 Phoebi sagittas) ante dulcem  
36 sed sine me furere hunc furorem.  
THALEIA.  
37 Sint, quae commemoras, vera : sed horridi  
38 fontis relliquias prodere jam vetor.  
39 Percontanda Sororum  
40 mens est. Cras redeas, licet.

## DIALOGUS TERTIUS.

AUCTOR.  
O1\_3 v.1 Hoc sexu nihil est imperiosius.  
2 Mirum ! Musa redux ni mihi verba det :  
3 vulgum qualibus aula,  
4 cassa ludificat nuce.  
THALEIA.  
5 Quis tam mane novis floribus atrium  
6 ornatuque fores cinxit Ionico ?  
7 Intentam Philomelae  
8 quis me provocat augurum !

AUCTOR.

9 Promisso cupiam fonte frui, Deae.  
10 Prae quo displiceant et Tegeatici  
11 saltus ; quodque capellas  
12 Tibur frigore distinet.

THALEIA.

13 Votis ut cupiam protinus obsequi ;  
14 mecastor, nequeo. Nam lapidum globo  
15 sparsorum, Pater alti  
16 obstruxit putei cavum.

AUCTOR.

17 Quid tum ? saxa suis non moveam locis !  
18 Sit Taurus, sit Atlas ; Peliacae supra  
19 sint cautes, et Olympus :  
20 his a vulsero brachiis.

THALEIA.

21 Confusas tribulis insuper undique  
22 implexisque vias sentibus induit.  
23 Caecis mille rubebunt  
24 laesi vulneribus pedes.

AUCTOR.

25 Quid tum ? mille via fraudet origine ;  
26 sollertem inveniet Thesea Daedalus.  
27 Eludam Labyrinthum ;  
28 numquam janua non patet.

THALEIA.

29 Circum monstra volant ; qualia nec specus  
30 Caci dira tulit, nec lacus Arcadum  
31 Stymphalus. Per opacum  
32 bubones ululant nemus.

AUCTOR.

33 Si centum gemina Gorgone fulgida,  
34 et septum innumeris anguibus ostium  
35 silvae Pallas obumbret :  
36 tanto mollior irruam.

THALEIA.

37 Extremo propior, quaeso, periculo,  
38 tandem propositi flebilis abstine.  
39 Non sentis, mihi quanto  
40 quam sis tu tibi carior !

AUCTOR.

41 Sed non (mitte metum, Lux mea) funebres  
42 vigeant tabulae continuo mori,  
43 quondam miles in hostem ;  
44 vadens, incolumis redit.

THALEIA.

45 Ah ! cur non metuam ? Scilicet ardui  
46 in bella et gladios estis Iazyges !  
47 Tu, verbose poeta,  
48 sternes multa cadavera ?

DIALOGUS QUARTUS.

AUCTOR.

01\_4 v.1 Tandem per Lemures ad puteum quoque

2        invadamus iter. Quo timeam minus,  
 3        quamquam Cerberus hac in silua cubat,  
 4                inventum scio strenuum,  
                                  THALEIA.  
 5        immetata jacis vota lubidinum.  
 6        Tanti Naevius est, aut Pater Ennius,  
 7        ut morsu pereas ! Quo tamen opprimes  
 8                saevas ingenio striges ?  
                                  AUCTOR.  
 9        Galli cuncta domant. Frena regentibus  
 10        accedunt fluvii, dissiliunt juga,  
 11        procumbit pelagus, moenia corruunt ;  
 12                nascuntur subito nova.  
                                  THALEIA.  
 13        Ad rhombum, bone vir. Pompa quid haec juvat !  
 14        Ceu dicas : quoniam sol Babylonius  
 15        Thressae diminuit cornua Cynthiae ;  
 16                totum possideo Tagum.  
                                  AUCTOR.  
 17        Paullo plura tego. Namque notabilem  
 18        praetendam clipeum nomine Gallico ; et  
 19        ensem liligerum, qui valido truces  
 20                umbras verberet impete.  
                                  THALEIA.  
 21        Saepe et magnanimos mentis opinio  
 22        fallit. Fortis eris scilicet eminus !  
 23        Sed cum monstra pedem contulerint prope,  
 24                solveris pavidus mori.  
                                  AUCTOR.  
 25        Aeneas Hecaten germinis aurei  
 26        ostensa potuit fallere bractea :  
 27        vecordes nequeant Gallica fontium  
 28                Larvas sistere lilia !  
                                  THALEIA.  
 29        Sed quis Francigenum, dic, age, te suo  
 30        infestum per iter nomine muniet ?  
 31        Cujus praesidio fretus idoneo  
 32                silvae deicies moras ?  
                                  AUCTOR.  
 33        Heros Parisiis missus amicior,  
 34        Germano titulum saepius obtulit.  
 35        Ultro missa salus, plus vice simplici,  
 36                securum faciet latus.  
                                  THALEIA.  
 37        Ille est, quem Zephyris laeta faventibus  
 38        vectat per populos Gallia, Memmius !  
 39        Cujus jam gemino gloria nominis  
 40                dudum incanduit aethere !  
                                  AUCTOR.  
 41        Ac si, Virgo, velis dicere : jam scio,  
 42        fatorum serie nobilis, anxii  
 43        non famam sequitur more proci ; Deam  
 44                vel nolens habet aucupem.  
                                  THALEIA.  
 45        agnosco (neque enim Fama latet) virum,  
 46        quem summis habilem vita negotiis,  
 47        omnique invidia major, inutili  
 48                exercet procul ambitu.

AUCTOR.

49 Legum purus apex vertice subsilit ;  
50 facundique natant oris in alveo  
51 blandae pacis apes, et sociabilis  
52 dulces eloquii favi.

THALEIA.

53 Laudes praeterea Marsilium, jocis  
54 argutum lepidis, et sale candido  
55 convivam, et facili, non sine gratiis,  
56 ubertate volubilem.

AUCTOR.

57 Plenum consiliis, grande Lutetiae,  
58 supremum quod habet Rex Capitolium ;  
59 justis ponderibus debet et asserit  
60 lancem Marsilio suam.

THALEIA.

61 Nuper Terpsichoren et Polyhymniam  
62 meque inter, rutilas concutiens comas,  
63 quam laetis avibus Francigenas foveat,  
64 Phoebus dixerat, omina !

AUCTOR.

65 Ulmae, cum celebri qui fuerunt viro,  
66 narrant, quantum animi contineat sinu (?).  
67 Magnis Marsilius major, at unius  
68 infra est culmina Memmii.

THALEIA.

69 Intonsus super haec addidit, (et suae  
70 jurans articulos imposuit lyrae,  
71 quod raro solet) : applaudite filiae.  
72 Doctos Francigenas amo.

AUCTOR.

73 Hos tales madidis noctibus Ennii ;  
74 aspersos cupiam ; nam venerabilis  
75 horroris facie conciliat sibi  
76 caligo reverentiam.

THALEIA.

77 Quanto lucidius carmen Horatii  
78 haurires Apula Pindarus hydria ;  
79 quae te, quae rabies cogit inhospita  
80 Enni radere litora ?

AUCTOR.

81 Est inquam, rabies, et fateor ; sed est.  
82 Pelles non aliter quam calidam sitim  
83 humore. Est aliqua insania amabilis  
84 non ingrataque mentium.

THALEIA.

85 Cedo, quandoquidem sic animo sedet.  
86 Qui possis penetrare umbriferum nemus,  
87 pandet crastina lux. Tunc liceat bibere  
88 et rarum vomere Ennium.

## DIALOGUS QUINTUS.

THALEIA.

O1\_5 v.1 Possis thura meis ducere naribus,  
 2 et sertum niveis plectere de rosis ;  
 3 si, quae gaudia Phoebi  
 4 apportem tibi, noveris.

AUCTOR.

5 Possim et malobathrum fundere, quod Syrus,  
 6 et tostas segetes spargere, quas Cilix ;  
 7 si, quae nuncia vati  
 8 apportes bona, dixeris.

THALEIA.

9 Affusis precibus, denique Pythio  
 10 persuasi, facilis saevitiae Deo ;  
 11 vi te rursus anhelum  
 12 forti numine torqueat.

AUCTOR.

13 Quo non utilius munus amaverim.  
 14 Illabens animum si quatit entheum  
 15 Numen : fonte reperto,  
 16 turpes non metuam feras.

THALEIA.

17 Oetaei stimulis Pythius Herculis  
 18 in mentem, rapido cum tonitru, ruet ;  
 19 una pulpita, sellam  
 20 credes corruere, et domum.

AUCTOR.

21 Sic, o Virgo, fave. Pocula, fistulas,  
 22 et paetum interea terribilis gulae  
 23 disponam, generosae ir-

THALEIA.

24 ritamenta ferociae.  
 25 Cras, cum prima dies evigilaverit,  
 26 vibrandum e nebula magnanimi scias,  
 27 multo non sine risu,  
 28 gratum fulmen Apollinis.

AUCTOR.

29 O jam nostra vale dulcis Horatia !  
 30 tantisperque tui non nimis immemor  
 31 Flacci ; vespere, cura,  
 32 ut salvus redeat domum.

## INVENTIO HIPPO-OSCO-CRENES.

ENTHUSIASMUS

O2\_1 v.1 Cantant volucres. Sed quota, Didace,  
 2 dic, hora versis insonuit rotis ?  
 3 Quis me tremendo (numen, oestrum,  
 4 vim patior) Deus excitatum  
 5 implet tumultu ! Qualis ab arduo,  
 6 nivosa cui mons pabula sufficit,  
 7 torrens, rapax involutam  
 8 vere novo populare brumam,

9 descendit Aemo. Turbidus invehi,  
 10 negansque sisti, cum sonitu ruit,  
 11 arbusta secum, quaeque inundat,  
 12 arva rotans ; animosque tollit.  
 13 Frustra illigatas obicias trabes,  
 14 frenumque saxorum impetuosius  
 15 desaevienti. Spumat altum  
 16 improbus, et dubitat revertens  
 17 parere Nymphis, aut Domino maris.  
 18 Apollo tota nubis Olympicae  
 19 usus laborantem procella  
 20 impulit, in mediamque duxit  
 21 repente silvam. Caedite praevii  
 22 virgulta Fauni. Si potuit novum  
 23 columbus Orbem, solis extra  
 24 paene vias reperire postum ;  
 25 sit irreperitus fons Silicernii !  
 26 Quin ipse Nilus jam penetrabilis,  
 27 hirsuta scrutanti profundum  
 28 cornua, caeruleumque praebet.  
 29 Post mille tractus, Aethiopi caput  
 30 late videndum. Sternite praepetes  
 31 dumeta Fauni. Qua comantes  
 32 lucus iners et opacus umbras.  
 33 Ac densa nexum miscet adulteris  
 34 caligo ramis ; vulnificus chalybs  
 35 descendat in costas et armos  
 36 taediferae, cana membra, silvae ;  
 37 ornumque, et alnum, et robur, et abietem,  
 38 vulgusque silvae ignobile, populum  
 39 librata detruncet securis  
 40 stirpe tenus, retegatque saltum.  
 41 Laevam petamus fallor ? An audio  
 42 ad murmurantes non procul hinc aquas !  
 43 Serpunt sinistrorsum susurri,  
 44 et nebulas vitiatus aer  
 45 exhalat. O qua praetereuntium  
 46 spectas labores, Musa benignior  
 47 Thalea, da dextram, poetae  
 48 Alsatici miserata casus.  
 49 Quid hoc ? Per artus sal fluit, et gelu  
 50 ad usque talos manat inutiles  
 51 perstare. Stridunt, ecce. Visu  
 52 terribiles, fera monstra, formae.  
 53 Adeste forti capripedes manu.  
 54 Agenda res est tota bipennibus.  
 55 Hac, in frementum castra Larvarum  
 56 irrue par Satyrorum acutum.  
 57 Loco tubarum belligerantium,  
 58 (ignava namque has respuit orbita  
 59 Telluris atrae ; nec canorem  
 60 silva capit ; neque Phoebus illis  
 61 indulsit uti per tenebras vago ) ;  
 62 quassabo simplex aes Cybeleium,  
 63 quo more Curetes recincti,  
 64 cum Phrygiae peragenda Matri  
 65 sunt sacra, pulsant ; et Corybantibus  
 66 mistus sacerdos Gallus inambulatur.



67           Idaea responsant in orbem  
68       tympana, succutiturque collis  
69       ad arma. Num, si tristis Hamadryas  
70       occurrit olim, viribus improbis  
71       potestis uti, nunc inertes !  
72       Arma citi properate Fauni.  
73       Huc feriantes mittite dexteras,  
74       unaque Sphinges, totaque Erinnyum  
75       armenta debellate ferro.  
76       Lucus, io, patet expiatus.  
77       Quam grande saxum propter aquae caput  
78       rubiginosis nobile literis  
79       offendo ! Non est fortuito  
80       sic positus lapis iste casu.  
81       Pars literarum jam putrium fugit,  
82       pars unciales servat adhuc notas ;  
83       deleta pars est, et comanti  
84       mersa latet, tegiturque musco.  
85       Legamus : "algu serpula cum boa  
86       nocet ; gemursis flemina : sispiti ;  
87       letum sibinna". Sed, quid ista  
88       significant "cyrisate" verba ?  
89       Antiqua, credo, sunt aboriginum  
90       jamque Osca. Sunt, per Palladis Aegidem,  
91       incisa contemplare laxo  
92       ambiguos simulacra vultus,  
93       ac discolores pone ferentia  
94       et ante formas. Non aliter suas  
95       commiscet Aegyptus figuras,  
96       Cum loquitur, reseratque sensa  
97       pictura mentis muta vicaria.  
98       Hic pes, et inter cornua bubali  
99       Vultur ; remorsurove junctus  
100       bubo cani. Propior columba  
101       pennas, vel anser plumbeus explicat.  
102       Stat vacca supra pyramidis caput.  
103       Hinc simiarum par, vel angues ;  
104       inde micat crepitante rostro  
105       mysteriorum feta ciconia.  
106       Secreta namque his expediunt modis  
107       cives Canopi. Solus inter  
108       Niliacam crocodilus algam ;  
109       torvusque Anubis, non subeunt vices  
110       linguae, colendi relligiosius.  
111       Fortassis Attellanus olim  
112       hanc silicem quoque consecravit  
113       suis Apollo deliciis. Rosam  
114       cerno, et virentes, germina, laureas,  
115       obscura ; distinctosque flores.  
116       Lilia se, tamen absque culmo,  
117       stringunt lacertis terna sororiis,  
118       subter Leonis bis gemini jubae.  
119       Utroque caelum Luna versus  
120       erigitur manifesta cornu,  
121       nat stella tractus inter aquatiles.  
122       Tonantis Ales surgit in Ardeam.  
123       (Hic multa detrivit vetustas.)  
124       En aquilam ! Datur et coronas

125 regum tueri. (Quam digito rudi  
 126 umbrata sunt haec omnia ! ) Milvius,  
 127 pavo, Molossus, cervus, ensis,  
 128 in clipeo maculosa Tigris,  
 129 crux, Ursa, pomum ; et difficilis Rota  
 130 loco moveri, sanctius arguunt  
 131 subesse praesagumque Numen.  
 132 Quis lapidem neget auguralem  
 133 ad hujus aevi tempora porrigi ?  
 134 O ergo fortes subice machinas,  
 135 et marmor avulsum repone  
 136 antefores, Satyrisce, nostras,  
 137 simul viarum strata remetiar ;  
 138 domi figuras fataque colligam  
 139 unum in palimpsestum, sagaci  
 140 aenigmata propositurus orbi,  
 141 valvisque figam quis scit, an Oedipum  
 142 Europa nullum portet idoneum,  
 143 qui solvat implexos, futurum  
 144 carmina vaticinata, griphos.  
 145 Ad Hippocrenen pergimus interim,  
 146 videtis ? Hic est ille Quiritium  
 147 peculiaris fons avorum,  
 148 sub gelidi Jovis iliceto  
 149 tandem repertus. Laudo modestiam  
 150 canentis aevi. Simplicitas rudis  
 151 et grata salve. Non eburnis  
 152 marginibus tibi structa concha  
 153 Tritonis albet ; non Mareotico  
 154 supra locatos fistula murices  
 155 consurgit ornatu ; nec auro,  
 156 quod radians hyacinthus ambit,  
 157 superbus exis. Sed medio nigrae  
 158 in umbilico, sic pretiosior,  
 159 silvae scaturis, sub reductae  
 160 vallis Hyperboreo recessu,  
 161 ne pervicacis stella Caniculae  
 162 sacrum lacessat frigus, et inquinet.  
 163 Ah, sancta primaevi (fatendum)  
 164 nec phaleris temerata nostris.  
 165 Imago saeculi ! Tofus et obsequens  
 166 Natura musco, et floribus, ostium  
 167 fontis soporati coronat ;  
 168 non hederis sine vorticosis,  
 169 circum tenaci dente frequentibus  
 170 mordere flexi rudera pumicis.  
 171 Huic Plautus admovit liquenti  
 172 labra vitro ; Catulique et Andro-  
 173 nici sodales. Hinc bibit Actius,  
 174 et curio si Musa Lucretii.  
 175 Hoc mollis obscuro Terenti  
 176 emicuit Venus Afra fundo.  
 177 Luciliorum. Fons iterum mihi  
 178 dilecte salve qualis in abdito,  
 179 non erubescendis relucens  
 180 cornibus, ejaculatur undas  
 181 praesagus Ammon. Nos quoque, Didace,  
 182 libemus. Evan ! porge cucurbitas

183           Silene detritas, et imple.  
 184           Nunc animo saliare carmen,  
 185           nunc est bibendum. Pro Berecynthia,  
 186           pro o triformis Phoebe Diespiter !  
 187           Quam frigus istud acre ! dentes  
 188           immodicus stupefecit algor.  
 189           Riget palatum. Sed sapit intimo  
 190           Crystallus ori. Ducite amystides,  
 191           o vulgus hirsutum deorum,  
 192           ducite, qua data lympha, Fauni  
 193           mecum culullos, numine turgidus  
 194           exsultat humor sequipedalibus  
 195           Fatis ferocire, et severo  
 196           Bassaridum stimulare potu.

QUAE SEQUUNTUR, IAM OSCA CASCA SUNT, IN MODUM DITHYRAMBI CANTATA.

O2\_2    v.1    Clangore rursus lucus inhorruit !  
           2    An est imago vocis Oreadum ?  
           3    Surgamus. Evan, Liber, Ammon,  
           4    Evoe ! jam quoque, Bacche, priscis  
           5    Euan poetis cognite ! Coepiam  
           6    plantas cracentes tollere. Nuqueo  
           7    Dimosse polteius. Gemursa  
           8    poplitis, an gramiis laboro !  
           9    Vortuntur et mi lumina. Devago,  
 10        ac desipata mente frigitio.  
 11        Ingrettus os ventremque creter  
 12        vinnulus ampituat cerebro,  
 13        deditque suppum. Fervit, et adtegrat  
 14        insanientis vis sapientiae  
 15            reda druemus.  
 16        Si tamen quimus titubata porro  
 17            cillere crura.  
 18        Me rutuba sicut alitem circaneam  
 19            porcet abire.  
 20        Talipedo, sollumque cohum gyatur : et assir  
 21            perpete motu  
 22        venam nequitur icere.  
 23            Ordine nullo  
 24        multifidum subit ora carmen.  
 25            Odarumque solutum est  
 26            nexile corpus.  
 27            Ergo fortes dithyrambos  
 28            zonatim, Silene, rotemus.  
 29        Duc, humerisque manum suppose, et melle catacem.  
 30            Hujus aquai  
 31            manalis obba decoloravit mei  
 32            ingeni bulgam, velut acre calpar.  
 33        Unum alterumve bacrionem anclaveram ;  
 34        et mox ebriacus perbito querquera  
 35        fontis hujus appetonem strenuat salacia.  
 36        At non dedecosi est, axato gurgite pleri  
 37            Oscorum, si sirit Apello.  
 38            Rite Casmenas veneremur oscas.

[Versus ? non scansi]

DRAMATIS GEORGICI

PARS PRIMA

MELIBOEUS.

O3\_1 v.1 Num tut es ! Numne erro egomet tam murcus, ut altrum  
 2 intuar, Alphesiboee ! Sed es, Deus auspicet, ipsus.  
 ALPHESIBOEUS.  
 3 Eccille. Heu ! Quianam nos tali aspredine, totque  
 4 Mars tescus cruciis gramiosos vexat homones !  
 5 Dic, Meliboee, furor nos huc an Murcia duxit ?  
 MELIBOEUS.  
 6 Exulico sollus dudum obscaevaverat annus :  
 7 atque aliquot fariam vorti de praecipe clivo  
 8 res visa est. Labunda tonit communiter ante  
 9 fulmina, si coepsit tempestas cumbere terris.  
 10 Hoc insensile paene malum curantia cuja  
 11 praevortit ! Tam succrotillum ac petile prime,  
 12 post viduertatis gliscens in maxuma quassu  
 13 termenta et poenas, atque interitum patriai,  
 14 praepetiit Consos. Sic fit, cum querquera mens est.  
 ALPHESIBOEUS.  
 15 Fortunam meltom, speresque inimiciter amplas  
 16 expilaverit una dies ! Nos apere quisse  
 17 nequidquam ! Interea quot sum nequalia passus !  
 18 Dum cussiliris stertit sub curribus aureax,  
 19 et murgisones pigrant in pellibus ursi.  
 20 Ne nu largificis tot olescunt gramina campis  
 21 quot miserimonis scatit aversabile bellum.  
 MELIBOEUS.  
 22 Quod vis, quod nevis, face. Si solennitus urgent  
 23 Fata ; manus dandum est. Retro nec traxe potessis.  
 ALPHESIBOEUS.  
 24 Quoi nu perdoleat ! Traviant exerciti, et, oh, me  
 25 conspiratu uno pavitantem, conque globatum  
 26 somnurnam adgretti pultant. Ferrum alter adassit  
 27 in slatus : alter equos septem concopulat. Erctus  
 28 commugit socios, qui manticulantur, honusti  
 29 jam praesda. Hic vannit frumentum ; hic alebria frendit,  
 30 Hic gigeria turbat, et omnem imbulbitat aedem.  
 31 [Versus ? non scansi]  
 ALPHESIBOEUS.  
 32 Quis prohibessit ? Ego gladio male mactus adhaeso  
 33 obstupidus stremui, ceu bos, quem talipedantem  
 34 Fors acieris hebes non toto fronte cecidit.  
 MELIBOEUS.  
 35 Et mihi mancupio palatim perperus hostis  
 36 inruit. Itabat populatu pervicus, injux,  
 37 vulturius, submussus et errabundus ubivis :  
 38 augificansque metum mediana nocte sepulto,  
 39 Cum sonere occipiunt arma, et longiscere longe ;  
 40 ambactosque, ministratricesque anxit ; et allis

41 sub saxo pressis, elucis denique factis,  
42 aera electavit, garumque, et sugia lactis.

ALPHESIBOEUS.

43 Ast me disscolpsere. Vides, ut pugnitus ora  
44 calonum dubenus tuditaverit : impete quanto  
45 deversus grando denserier aequidialis  
46 suevit in ambsegetes, valido multesima tonsu.  
47 Gnobilis unus item raptans sobolemque virosam,  
48 buceriosque greges, batuit me fuste trinodi.  
49 Num pote publicitus truculens clinamine Turca  
50 saevius excissare Patrem septemlice torto !

MELIBOEUS.

51 Osus sum, qui fecerunt fragescere festras,  
52 fornos, scanna, alicas. Condos fecere cataces ;  
53 depuvere favitricem. Ceu dira pesestas  
54 impancraverunt postes jacet arcera ruptis  
55 Cum resupina truis. Et humu ruta concta fatiscunt.  
56 Nex, vel ubique rimos necis. Est mactabile, pitpit  
57 strenuat advorsum. Siremps. Clunacula quidam  
58 manducus super haec strinxit, saevosque dolones ;  
59 ac minitabiliter pendentibus ante capronis  
60 sussultans, arnas nisi primiparasque bovantes,

[versus ? non scansi]

MELIBOEUS.

62 vespernamque, et timonias dederimus, et hilla,  
63 atque minerrima, maxuma quaeque ; jubessit inermos  
64 perbitere. Oh ! Liticen cerebrum exculcare petiscens  
65 volneribus, mox sicilices circum ora tetendit.  
66 Numne hoc fraxare est ! Advosem elisse bountem !

ALPHESIBOEUS.

67 Ausculta. Major Mansucius atque catillo,  
68 Cum nitibundus marsupia carere gnatae,  
69 impetire nihil nummorum qui ret et escae ;  
70 peniculamentum, defrensam ex parte calassin  
71 prendens, incicurem ut stupre angeret hostificeque ;  
72 cirratam licet, atque impercere molta rogantem,  
73 ambustaneus in stabulo devirginat eheu !  
74 Jam lupa depannis, fedequae dataria servit.

MELIBOEUS.

75 Aeruscatores, qui nil nisi rapsere norunt,  
76 rapsit Summanus quoque Dis, et matrima mater,  
77 et pitpit furiarum, aligusque, aestique, sub orco  
78 Plutonis scryptae depsunt, scaphioque propinant,  
79 anguiculis fera stipantes silata cruentis.

ALPHESIBOEUS.

80 Nam cur nostra dasi blateis his sumina debent ?  
81 Sed quem endoplores rutubae pertisus amarae ?  
82 Quis cauponantes porcebit et axitiosos ?  
83 Bustirapi occillant contra fantum ora madusae.

MELIBOEUS.

84 Pappans et lallans, expretus nemo malorum.  
85 Quaesentem tremulo lactem circum ubera pupum  
86 vagore, increti tegetis tristissima compar,  
87 donicum inhumanus lartes abscesset, in aula  
88 ircentum occuluit subrumum. Ah pignera ! Pusa  
89 et conjunx, anuisque parens, populaeque sorores !

- 90 [Versus ? non scansi]  
 ALPHESIBOEUS.
- 91 fugisses simitu : pol, custodela futurus.  
 MELIBOEUS.
- 92 Fugisses simitu ! Sed erat spes nulla fugai.  
 93 Torviter instabant supra caput hirquitalli,  
 94 maximitate soni et stridoribus imbricitantes :  
 95 fer vescum, concrete rupex ; manabile in obba.  
 96 Ricta nequivisses harum harum plere ferarum.  
 ALPHESIBOEUS.
- 97 Degunenda procant : misereque crecentibus haud est  
 98 mamphula nana super tamen olli rumen obesant.  
 99 Ut tellus, juxta sos sasque, raponibus istis  
 100 praefestinatim fraccescat olentica subtus.
- MELIBOEUS.
- 101 Hoc lapit. Hoc meminentis enim praecordia fossat.  
 102 Castra puellascunt. Pronis Venus omnia clinat,  
 103 exque papillata est, titulosque obscondit amore.  
 104 Hinc tot schoenicolae. Cur non dispulverat erctor  
 105 omnes ablectas ; equitesque et equiria sarpit.  
 106 Nu scelerum termo est Quin et famuletia nostras  
 107 belluta excycladant pueras, mammosaque lurcant.  
 ALPHESIBOEUS.
- 108 In vetula, quamque ipse haud molta digno saliva,  
 109 (creduat hoc aliquis ! ) volvere uxore lupari ;  
 110 extractamque cuba, ni moechimonia dedat,  
 111 mactassint. Tanta putrent cuppedine lixae.  
 MELIBOEUS.
- 112 Ast plagas magego miserabilis innumerales  
 113 suscepse. Burrum est dorsum vibicibus eccis.  
 114 Sephasiam torris comprime praebuit. Assam.  
 115 Postquam terricrepi marra flixere caducum ;  
 116 [Versus ? Non scansi]  
 MELIBOEUS.
- 117 harmonisatantem, quia sum nablista, coactant ;  
 118 occanere ad mensam. Quali mulcedine, reris  
 119 contrectabiliter nervios pressasse loquaces ?  
 120 Exululo. Interea haud stlembi jumenta capistrant.  
 121 Sic cassabundum fit equile, ne avariter una  
 122 surpere quod poteratur, aduncans surpuit unguis.  
 123 Tanta vetant Volpes mala permanascere ad aures  
 124 meddicis. Haec per ne objectacula susciet ille :  
 125 si mussare, nefas ; vel, si incilare negatur !  
 ALPHESIBOEUS.
- 126 Bucera saecla querelaris tu abduxe metellos !  
 127 O saltem attegias humiles, sarracaque nostra  
 128 nu cinefecissent, hoc me macritudine limat,  
 129 squarrosunque facit tabere aetate senecta.  
 130 Flammioculi, horsum horsum, laxim per tecta vagabat,  
 131 in vapidum ut seu clusa darent, seu panda domorum.  
 132 Cum tonitro scaevum quasi fulguriisset ab aethra ;  
 133 vidisses fumo innantes vastescere pagos,  
 134 et convolsa crepare mapalia, temporis puncto.  
 135 Nemo ullus vacerra fuit, qui stingeret ignem  
 136 Solato periit suffetus ; fratricia busto.
- 137 [Versus ? non scansi]

## DRAMATIS PARS SECUNDA. SIVE DENUNTIATIO PACIS.

MERCURIUS.

03\_2 v.1 O mihi nunc primum fratres salvete soloni.  
 2 Quos lapsis fessos rebus, post arma, minasque  
 3 et vacuis intecta casis incendia, tandem  
 4 placatum laevo respexit ab aethere Numen.  
 5 Accipite hanc animis, hilaresque admittite famam.

ALPHESIBOEUS.

6 Quisnam ollic gradat in mollestra, et sisilat ? Ennam  
 7 nos specit ? Ecquidnam gurdus secum ipse friguttit ?

MELIBOEUS.

8 Damon est. Aquilusque colos, et rica, soloxque  
 9 dignorant. Custos musmonum vesculus unde ?

10 [VERSUS ? NON SCANSI]

MERCURIUS.

11 Boius ut infestos duplicatis viribus hostes,  
 12 bisgeminas acies, geminos concurrere reges  
 13 in se conspexit solum, nimis impare Fato :  
 14 nec jam defendi posse auxiliaribus armis.  
 15 Ergo cadam, victor totiens licet, ultimus, inquit,  
 16 in praedam ; et fatum est bello hoc commune, perire !  
 17 Europen ex quo funesto polluit ortu,  
 18 Astraque terribili foedavit crine Cometes ;  
 19 nulla mali facies tolerandi, nulla laboris  
 20 defuit. Oppressos curis transmisimus annos.  
 21 Sex prope jam lustris noster Leo castra per Orbem  
 22 Teutonicum profert, et ad omnia classica rugit :  
 23 totaque sub galeis acta est et pellibus aetas.  
 24 Quo fructu ? Pugnas, formidandosque triumphos  
 25 ne memorem, tristis monet experientia : ludit  
 26 Mars vicibus, patiturque suas Victoria clades.  
 27 Cum monstro nobis res est. Certamus in hydram :  
 28 cui caput abscissum, fit deterioris origo.  
 29 Septem consurgunt, quoties truncavimus unum.  
 30 Messe sua crescit, seseque reseminat hostis.  
 31 Vipereum veluti dentem jecisset athena  
 32 Cadmus in arva novas ; miles numerosior ipsis  
 33 pullulat ex tumulis, tubicenque enascitur una.  
 34 Austria, quam nostris lustravit gloria rhombis,  
 35 et venis inscripsit Amor : quo certa parante,  
 36 dulcis Hymen taedas regales saepe levavit,  
 37 mutua nos inter statuens conubia sponso :  
 38 consiliis utinam, dum res et Fata sinebant,  
 39 quae dedimus, semper sinceris usa fuisses ;  
 40 lubrica non isto staret Fortuna sub ictu.  
 41 Sed nunc plena ruunt, velut infrenata, suisque  
 42 devia restagnant spretis discrimina ripis ;  
 43 torrentis specie Boios spatata per agros.

44 Intumuit crudele malum. Spumosius exstat,  
45 et vada protrivit. Neque jam succurrere promptum ;  
46 ventum est ad Rubiconis aquas. Ignosce neganti  
47 cladibus extremam patriae miscere ruinam.  
48 Hoc sanguis meus, et legum sancita potestas,  
49 Naturaeque vetat prior ac justissimus ordo.  
50 Et quae, ne incautum traducat Fama nepotem,  
51 maxima debetur proavis reverentia nostris.  
52 Ut, quantum accepit sceptrum a Majoribus olim,  
53 tradendum gnatis tutetur et asserat heres.  
54 Nec, reor, ipsa velis in fossam meque, meosque,  
55 immeritos uno cives subsidere jactu.  
56 Exitium alterius nam quae spectare voluptas ?  
57 Discute res gestas ; Romanos consule Fastos ;  
58 non sumus indecores. Fidumque probaverit omnis  
59 posteritas animum. Feci, quod poscere jura,  
60 quod potuit praestare fides. Nec vincula rerum  
61 hoc actu violata putes. Durabit in aevum  
62 Primus amicitiae vigor, affectuque manemus  
63 antiquo. Non cessat Amor, sed inutilis esse  
64 cogitur, et mentem propiora pericula pulsant.  
65 Causa procellarum tempestatisque sonorae,  
66 quam tulit Oceanus dubio Germanicus aestu ;  
67 lenius undanti flavens Tagus influat Istro ;  
68 dissimili ne turbet aquas, vitietque colore.  
69 Quod simul advertunt vicino in litore Nymphae ;  
70 infremit, et sparsum Triton ulciscitur aurum.  
71 Mox sequitur turbo mistus clangore tubarum.  
72 Sic consanguineis sublimis Iberia ramis.  
73 Molliter inserpat, stirpemque amplexa coronet ;  
74 ut tamen imperii, sub qua requiescimus omnes,  
75 tuta sit, et nun quam peregrini frondibus horti  
76 arbor inumbretur : ne vasta et publica moles  
77 in declive crepet. Quo non infausta precamur ;  
78 optamusque domos aeterno foedere junctas  
79 aequa serenato fastigia tollere caelo.  
80 Dummodo nec nostram vellant radicitus Austri.  
81 Continuo duo regna sibi contraria certant.  
82 Interea nostrum votis discordibus Orbem,  
83 sive pila est lusu volvunt ; seu sponsa, procantur.  
84 Uritur, inque vices irritat et aemulus urit,  
85 donec concurrant alternis ictibus hastae.  
86 In medio positus Teuto conivet utrique,  
87 ausa utriusque luit : timet hinc, et plectitur illinc.  
88 Nam quid, uter vincat, refert ; si victima semper  
89 certa, nihil meriti, fatis debemur et armis.  
90 Dumque retundendos rivalis fregerit enses ;  
91 in nos frustra cadant, alienae semina litis.  
92 Haec summa est. Membro Romani corporis ; olim  
93 si tulit, et nunc fert dignas hoc nomine curas ;  
94 si nihil in summi peccavit culmen honoris,  
95 si conjuratos prostravit saepius hostes,  
96 si, quod Praga sciet, discrimina mille subivit,  
97 si debellatis excussit tela Bohemis,  
98 si libertatis cupidum frenavit Anassum,  
99 si domuit Nicrum, si junxit ponte Visurgim,  
100 si rapidum galeis hausit victricibus Albim,  
101 si prope Wimpenam Turlacia reppulit arma,



102 si super infusam Cimbri compescuit iram,  
 103 si Brunswicensis fera perculit ora cerastae,  
 104 si Suecum Austriacis cursu prior arcuit oris,  
 105 si trucis infandos Fridlandi prodidit astus,  
 106 si Nordlingani sevit palmeta triumphi,  
 107 si totiens aquilis sacrum reparavit amictum,  
 108 si totiens acuit collapsum ac debile fulmen,  
 109 si quater infregit pugnacis lilia culmi,  
 110 otia si fessa Princeps aetate meretur,  
 111 stet tranquilla seni, terris meliora petenti,  
 112 (quid Globus iste mihi, quid vilis pondera massae ? )  
 113 stet tandem tranquilla salus. Nunquamne licebit  
 114 vivendi caussas, Martis terrore remoto,  
 115 emeritum sentire ducem ; curisque levatum  
 116 in placidam noctem tuto deponere canos !  
 117 Cum belli finis, pax sit ; referamus ad illam  
 118 denique bellorum strepitus, et pace fruamur.  
 119 Dixit ; et ad Gallos animumque oculosque retorsit.  
 ALPHESIBOEUS.  
 120 Quid facitur ? Mi sunt concta haec, Meliboeae, cnephosa.  
 121 Nu sardo. Damon, quid muginare tuatim ?  
 122 Quae septuosa (sumus socieni) cosse, retura.  
 MERCURIUS.  
 123 Qualis ubi adversis jactatus in aequore ventis...  
 ALPHESIBOEUS  
 124 Ejulitas Spirille ! Aliquem procitare videris.  
 MERCURIUS  
 125 Qualis, ubi adversis jactatus in aequore ventis...  
 MELIBOEUS  
 126 Quisquis es, oppila cavum, et ad farfena revorte.  
 127 Aut, quianam ad nos te, ni vis compescere mutta,  
 128 huc itiner tetulit circum squalidine siptos,  
 129 eloque sis ; nostrasque vegens solare gemursas.  
 MERCURIUS  
 130 Qualis, ubi adversis jactatus in aequore ventis  
 131 navita, quemque hiemes multae docuere profundum  
 132 et secreta maris ; simul increbrescere murmur  
 133 flante notat Cauro, saevisque Aquilonibus Austros  
 134 misceri ; atque adeo tres hostes surgere in unum ;  
 135 providus, ac dubiis sollers praeponere tuta,  
 136 fluctus remorum quia non everberet usu,  
 137 abietis obliquat latus, Aeoliaeque tyrannis  
 138 cedit, et ex alto deducit carbasa malo.  
 ALPHESIBOEUS.  
 139 Monstrificabilibus sic perplexabile nigret,  
 140 ut rear offudas, nauca et populacia depsi.  
 141 Quae, caprimulge, blatis, facio non hette, vel achnes.  
 142 Quid mussas filico ? Quae menta jocalia gannis ?  
 143 Parce quietalem miscellio fucilis ire.  
 144 [Versus ? Non scansi]  
 MERCURIUS  
 145 Est urbs imperii, Suevis quae dicitur Ulma,  
 146 divitiis armisque potens ac moenibus altis.  
 147 Nec procul hinc nati (fontemque accedere fas est)  
 148 incluta Danubii sub nomen euntibus undis,  
 149 huc oratores rerum coiere sequestri.  
 150 Consiliis aequa libratis lance Senatus,  
 151 poscitur, et Bello Pax evolat alma relicto.

## ALPHESIBOEUS

152 Pitpit rumiferas strepiti, clarare memento.  
 153 Nil nos caelassis, obstringillare dolosus.  
 154 Vin, ut te oppuviis elumbem, hac blenne, cateia ?

## MERCURIUS

155 Plaudite felices, redeunt Saturnia saecla,  
 156 agricolae. Redit et virgo, quae sidere pingues  
 157 maturat spicas, signo vicina Leonis.  
 158 Pax verno cum Sole subit, circumflua myrto,  
 159 Gallica formosis innectens lilia calthis.  
 160 Pax inter socias alta cervice puellas,  
 161 nube super rorans, calathis dispergit amomum ;  
 162 factaque sanguineis ut curet vulnera bellis,  
 163 inversa medicum phiala diffundit olivum.  
 164 Laetior idcirco foliis caput induit annus,  
 165 floridaque ornatos comunt velamina campos.  
 166 Ridet ager ; rident Zephyris spirantibus aerae.  
 167 Jam sonat in silvis longe vocalior Echo ;  
 168 pumicibusque cavis saliant vivacius undae.  
 169 Incipiunt Boiis placidi procedere menses.  
 170 Nulla dehinc virides saltus Bellona revulsis  
 171 stirpibus, aut totos excindet funditus hortos.  
 172 Non turpi gladio flavas tondebit aristas  
 173 implacata manus, nec proteret ungula culmos.  
 174 Cessat amor praedae, ferrique insana libido.  
 175 Quod superest, sacro splendebit mitius usu.  
 176 In silvas rectum, curvum mittetur in agros.

## MELIBOEUS.

177 Immo est cerritus. Manifestum oblucinat. Audi.  
 178 Quam pro prolubio muger momarque meracam  
 179 stultitiem erugit ! Labeas titubantia motat.  
 180 [Versus ? Non scansi]  
 181 et prosa spumescit nullo lucre, vel arte.

## ALPHESIBOEUS

182 Ni sycophantetur somniurgus, lax odefacta est.  
 183 Alloquo. Quem calvis ? Sic tu nos pinsere cilo !  
 184 Spurcidicus vomis offertor quam barbara verba !  
 185 Tam nepa haud sardo. Neque bruta intellegat auris.  
 186 Gurde, tuum foeda disrunci gutturem amurca.  
 187 Ad scoensam properas. Noctescunt omnia nobis.  
 188 Ceu gramiae impancrent. Enunquam clarius infis ?  
 189 Aut patulis volsim vibrissas nasibus, aut te  
 190 unguistis suppum celeranter grandibus ungam.

## MERCURIUS

191 Atqui atqui haud faxis. Sollus sum voster. Adhames  
 192 mederga, Boiis qui forctum nuntio et horctum !

## ALPHESIBOEUS

193 Hoc lacere est famen. Faux in bona cillitur orsa.  
 194 Damon, tune es ? At ante sapisti demage blenno.

## MERCURIUS

195 Ipsus, ut obstineo : forctum qui nuntio et horctum.

## MELIBOEUS

196 Atqui atqui evanna porro. Concta insola nobis.

## MERCURIUS

197 Ordibor. Monerim tamen, ut vostro Hilarodo  
 198 ante axamentum sliceat vitularier. Io.  
 199 Surrimite hanc famam. Facti sunt momina : Pax est.

## ALPHESIBOEUS

200 Rumita. At o stlembis cave dedecus occentassis.

## MERCURIUS

201 Inceps Boiariae, pulcralia famino, Pax est.

202 Utque hanc evelem petronibus. Oximus assum.

## MELIBOEUS

203 Corgo tu tempestus ades. Juvat ampliter, ohe,  
204 ruspari. Quianam ? Quisnam tibi garruit isthaec ?  
205 Nam famella facul fabella est ; moltaque volgum  
206 sutela incertat facul est condepsere fallas,  
207 veratum quitus fueris planare disertim.

## MERCURIUS

208 Delico summatim. Vopte auscultate. Suevum  
209 ex terra redino, qua ablectis aedibus ingens  
210 fulgit, et axata est moerorum objectibus Ulma.

## MERCURIUS.

211 Quin et Danubius genitaliter atque fluenter  
212 principialis ibi et manalis habetur oriri.  
213 Post qui diluviat naves, magmenta capissens.

## MELIBOEUS

214 Defrudas. Longa a curtis dispesce. Quod aias,  
215 topper ai. Frustra sterilas intercipis aures.

## MERCURIUS

216 Hic arnas pascensque crepas, promellor in urbem.  
217 Nu scio qui, manante polo. Dignissima porro  
218 gnoscite. Primanos spicio, quantumque miniscor,  
219 itabant hilari. Nec eorum volta fragebant.

## ALPHESIBOEUS

220 Atqui atqui audibo, quantum communitus axint.  
221 Longendoitii tandem circanea mitte.  
222 Largiter ampiruas. Summae decermina prome.

## MERCURIUS

223 Diditur extemplo fama inconspreta viritim !  
224 Boiugenas, Celtas, Suconas meliosibus Fatis  
225 consponsos, confoedustos mitescere taxim.  
226 Ac sine turbellis jam pace licere fruisci.  
227 Bellorum quoniam gracilescere coepserit horror ;  
228 hostica dividiis pisatis tela sipari.

## MELIBOEUS

229 Eia. Sed an pacis flustrum abs remeligine venti est.

230 [Versus ? non scansi]

231 Aemida nu Gaili speranda salacia ponti ?

## MERCURIUS.

232 Flacciscunt flucti. Boium prosumia salvum  
233 Celtica vectabunt. Laebertas Boia fidusta est.

## ALPHESIBOEUS

234 Ni creperum obvares, nenuque aliuta sequatur ;  
235 certe edulcassis vitai ablegmina nostrae.

## MERCURIUS.

236 Persancte vero, nec obacero plauda halophanta.  
237 Municat hoc Damon, sed nu ut quinquertio futat.  
238 Nempe bovinetur ! Pacis consentia certa est.

## MELIBOEUS

239 Ningula surpat, ain, rem fixula ? An endo Senaclo  
240 ac seliquastris sciscentum ningulus Ulmae  
241 discrepuit Buteo : bliteis qui pectora mosset  
242 terriculamentis. Multant nos nequia Fata

243 saepius, atque danunt improspira praebia ; ut ibus  
 244 aegrior admorsis fiasque macellior exin.  
 245 Noegee Fortunae quondam vortuntur in atra.  
 246 Hoc defloccati senicae, pubesque labellis  
 247 saepe menunt apicis. Qui nescit, desapus hic est.  
 248 Nam nu rarenter campas ceu seria ; bignum  
 249 dalivi hoc capimus bellum pro pacibus aevo.  
 250 Opprobramentis bucaedas insequit atrox  
 251 artua multiplici paverans rorarius ictu.

MERCURIUS.

252 Nulla metus. Plancis inscripta haec pacio mantat.  
 253 Jamque ipsius Meddix, subicesque, remissee monacum  
 254 clarantur. Redinunt pilenta, virique viraeque,  
 255 atque parectati, sublestoque agmine casci.

MELIBOEUS

256 O quam nos laetas ! Fuat aeternabilis horna  
 257 pacio. Nu tanti emissim Ambarvalia sacra.  
 258 Nu si hinnibundis centum, totidemque bisetis,  
 259 imbarbescentes hirquos obstrudat haruspex.

ALPHESIBOEUS

260 Pacis Acupedios hietans perconto, camillos  
 261 Fortunae ; queis queis, quoi quoi debebitur arna  
 262 victima, cum botulis, et cum cretere profundo,  
 263 est stlocus hic et stempus, ut antroet Alphesiboeus.

MELIBOEUS

264 Nemut enim superescit, et haud medioxum. Olli  
 265 sublima laudes, et emem diceto mihipte.  
 266 Dicebo, neque mentibor polentia major  
 267 suffuit artito, meminentique omnia Gallo.  
 268 Marsilius, quo nu dubianda emussitet alter  
 269 rectius, et nitidet nigra, disque capedinet alpa ;  
 270 exgregius, munis, simituque duellicus heros.  
 271 Nimbatus Musarum oleo, ac ceromate Martis,  
 272 altertumque et utrumque catus defundere, curvas  
 273 ampedices legum solo grummatur honesto.  
 274 Hic vir, hic est vejam Pacis prognariter urgens.  
 275 Quippe malassavit zonatim tesca laborum,  
 276 ingenio mansues, ut dat consuetio Gallis ;  
 277 et queis polteius clueat fax endo senato.  
 278 Qui tamen aestimia sapientum plisima polens,  
 279 consiliis quantum reliquos praesiderat ignes ;

[Versus ? non scansi]

281 unose tantum protelat Memmius ipsum.  
 282 Clivia sic pariter superans, ac litta, faculter ;  
 283 sibus, et explenens magnae procestria mentis.  
 284 Confluge patrita decorum, atque ingentibus factis :  
 285 ingrettusque pedam strita vorum, et noegee Fata.  
 286 Nunc per Westphalicas, ops qua Mimigurdia fervit,  
 287 andruat anquirens sufesque redandruat arces.  
 288 Olli undabundo copi mens plena futuro  
 289 luciscens verum scite exanclare potestur.  
 290 Nec se, dum sagis indolget fortean augur  
 291 conjectamentis, umquam moltangula vanat.  
 292 Oceanas ut aquas nu sirpat ripa palustris ;  
 293 sic neque Francigenis fundum ruspantibus obstit  
 294 agger, et indupedit. Torporant omnia Fato.

295 Plera recentasti sed quae te audentia, Damon,  
 296 illatebravit in haec, conbenno, plexa, simulte  
 297 conivola ? Anne unae tu Mercurialis homillus  
 298 noctis es, iste catax, gramiosus, nepus et arduus.  
 299 Nam pit here praeter pecua et mulgaria vasa  
 300 agnoras, lactemque crepae, auxillamque colustri.  
 301 Ille ego sum (larvae scenatilis absipo formam,  
 302 qualem surremsi caelo extrans, ab Jove missus)  
 303 ille ego sum, quem dusmoso praegnata sub antro

[Versus ? non scansi]

305 Cyllenes, effafilatum saniter olim  
 306 Maia dedit, sublimes micans folgore patali  
 307 stella ; suum lacrumis jubarem quae humentibus auctat.  
 308 Tanto itere ad terras celerrimus, absque tumulto,  
 309 indogredi gnixus, post dignorata vaporum,  
 310 Boiariam indepto : taximque caduciter ad vos  
 311 tot lixabundus per millia millium ivi.  
 312 Contemplate alas, haec tentique - pellia plantae.  
 313 Pitamque ex baculo tollentem sifila Virgam.  
 314 Hac manes quondam ciniflones strudo sub antra  
 315 volcanosa Stygis, penitae forbea flammae.  
 316 Adque cohum, virtus quos diruncivit, et ignis,  
 317 sublimo e grumis. Vis nunc haec fivite dicta.  
 318 Bello evallato, Pax est. Quam malthacus Aether  
 319 perpetuitassit ; quam dii longiscere faxint  
 320 Cum Laribus, qui averruncent promonstra Penates :  
 321 Silvanusque gravastellus, Satyrique fratillis  
 322 urvati, doctae Dryadesque viere corollas.  
 323 Vos vostro date, Petrones, ancisa quotannis  
 324 damoni : tres nefrendes, et matris avillam  
 325 subrumam : strupposque duos in bacare gilvo  
 326 spicorum, arque in simpuvio mactate bidentem.  
 327 Hinc me iteru ex oculis sursum orbicus expato topper.  
 328 [Versus ? non scansi]

#### ALPHESIBOEUUS

03\_3 v.1 O Deus adrumans, bitiens, caducifer, alto  
 2 Juppiter, et pressu sate Pleiados elecebrosae !  
 3 Tune es Atlantiades ! Ten, oppuviare cateia  
 4 sustinui (horripilo) atque unguis ungerere suppum !  
 5 Mente inebra, mente exsensa exfutaque ; trunem  
 6 surrigo, et immanem similemque imporcitor ocri.  
 7 O scorde Alphasiboeae, et serio expergite Casnar !  
 8 Quid nu bubbleum et calpar deblacterat ore !  
 9 Procapis o Maiae, prorsum vafra atque carissa !  
 10 O prox ! Quam nostras, dum gnarigat, hostiit aures  
 11 quamque negibundos enubrans, ceu duidentes  
 12 sermonum salibus famellae ad pabula traxit !  
 13 Tu cosmata Deus, clarae bulga edite Stellae.  
 14 En, Jovis interpres, liquidam ut gnixatus in aethra  
 15 traviat incretas nubes, cretisque catillat !

[Versus ? non scansi]

17 ut se paudiculans, quasi serpula, motuat ; aut ut  
 18 condalus in gyros ! Ut naviculatur in alto !  
 19 Ut vagar, et palmis aurai remigat undas !  
 20 Jam motat pennas, jam se, nulla arte labosus !  
 21 O Meliboee. Tagit me poena, dolosque, pudosque.  
 22 Manali lympham quis colpam februet istam ?  
 23 Mu ! Neque enim Arferiam libabo pace nocentem.  
 24 Vin, scaevos ut edim bulbos ! Aspelle timorem.  
 25 Hic annus nobis forctus colluxit et horctus.  
 26 Salte incoxemus. Quin corgo ocquiscimus ambo  
 27 suppliciter ? Veniam duit Hermes congenuclatis.  
 28 Bilbio laetifrice. Pro quanta faventia Divom !  
 29 Rursum posse obbae lac quactum invergere rursum  
 30 posse in basterna vel tensis esse turundas ;  
 31 et cum dulcacidis coliphia. Qualia simplo  
 32 degulo, cum benna frux est distracta forensi.  
 33 Pax segetes grandire facit ; Pax ova parire.  
 34 Hac fruticescit ager, sicutque secespita gramen ;  
 35 pennivagant pulli : specias matrescere fetus.  
 36 Omnia jam nauscunt. Foedi juvenantur et arnae.  
 37 Topper ? Io, topper, mulctralia, muria, lardum ;  
 38 et vitreum fumo plenum Cerealis apludae.  
 39 Jam cyathissemus. Burranica potio praesto est.  
 40 Rasor ubi flatorque ? Lyram, Meliboee, magistra.  
 41 Terra vicissatim pavienda est. Occipe saltum.  
 42 Vasticiem prius ex tescis runcemus aratro.  
 43 Dein dare nefrendes decet, atque ancila petenti  
 44 Mercurio, strupposque duos in bacare gilvo  
 45 spicorum, atque in simpuvio mactare bidentem.  
 46 [Versus ? non scansi]

**EPICITHARISMA Ad Augustissimam Caeli Reginam, Mundi Dominam, B. V. MARIAM DE VICTORIA, Supra omnes labeles et Iudithas MULIEREM FORTEM, CASTRORUM ACIEM ORDINATAM, MATREM DEI EXERCITUUM: Eandemque GENITRICEM PRINCIPIS PACIS, FOEDERIS ARCAM, PATRONAM BOIARIAE: OB SINGULAREM TUTELAM PERICULOSISSIMIS TEMPORIBUS Inter alternas BELLII AC PACIS, SPEI METUSQUE VICES PATRIAE IMPENSAM, CARMEN EUCHARISTICUM ROMANO OSCUM CASCUM DITHYRAMBUS PARTHENIUS Bipartitus.**

### PARS I.

**PRAECINIUM ROMANUM.** Cur beatam Virginem etiam Osco versu Auctor celebrandam sibi sumpserit.

04\_1 v.1 Hostium ruina Samson,  
 2 forte sponsus, ac viator,  
 3 Cum favum Leonis ori  
 4 repperisset insidentem ;  
 5 fertur exemisse praedam ;  
 6 et suis dedisse partem dapsilem parentibus.

7 Dum vagor per Ilicetum,  
 8 repperi sermonis Osci  
 9 mel quidem silvestre tantum ;  
 10 mel tamen non inficetum.  
 11 una jam consumpta pars est :  
 12 cedat almae pars in usus ergo Matris alterae.  
 13 Nec verendum, ne severo  
 14 vile donum damnet ore.  
 15 Non sua Regina semper  
 16 digna majestate poscit.  
 17 Liba quid si rusticana  
 18 rideat, ridensque gustet nata magno Caesare !  
 19 Saepe, qui litavit agno  
 20 sanctius, sinistra vicit  
 21 victimae majoris exta.  
 22 Far item quandoque tostum,  
 23 et salini mica parvi  
 24 Caelites placavit ante vasa turis masculi.  
 25 Principum, regumque sumptus  
 26 foederis decenter arcam  
 27 aureis ornent coronis.  
 28 Pauperi sat est poetae,  
 29 obtulisse ruris herbas ;  
 30 quas vel Attellana tellus fert, vel Oscum praedium,

## PARS II

### CANTU OSCO.

04\_2 v.1 Solla Bella, qua cluente  
 2 concta fulgunt ; solla Malta,  
 3 qua vegente concta nauscunt.  
 4 Virgo mustae pulchritatis ;  
 5 Virgo malta bella salve.  
 6 Solla Bella, solla Malta, solla Nympe Malthaca.  
 7 Ex cracentium chorea  
 8 Virginum ; queis castitudo  
 9 municans indulgitatem,  
 10 dat viere sarta sponso ;  
 11 plisimae ruspantur aurum ;  
 12 plisimae sequuntur Arnum : Ningulae te praegradent.  
 13 tersa volta gratiai ;  
 14 omnis ad quae nepa, gurda,  
 15 crassipellis ceterorum,  
 16 Blenna, bubinata forma est ;  
 17 noctilustris Pansalene,  
 18 et cneposo Sol in axe lusciosus obstupet.  
 19 O, ut aemido comarum  
 20 undulatus imbre vertex,  
 21 appetones cillit Euros !  
 22 Surrimunt cirrata toppe ;  
 23 Quando valle dacrumarum  
 24 praepes extras, per vaposes in cohum redandruans.  
 25 Protinis laciniosam  
 26 Angeli tagunt calassin.  
 27 Nudipectores pusilli  
 28 fratriant, urvantque, nantque.

29 Traviare siba nubes  
 30 pars, columbatim globosa collabellant auscula.  
 31 Si slicebit antroanti  
 32 vota jam nunc perpetrare :  
 33 evenant haec, pronis opto.  
 34 Boia, meddix summus Urbis,  
 35 quoi subex ocquiscit ora ;  
 36 da fruisi sole sispes ut queat largisumo.  
 37 Injuges a spelle motus.  
 38 Quumque defrensis ab annis  
 39 querquerus fragescat assir ;  
 40 da dies vitare scaevas.  
 41 Impetos procul metellos  
 42 arse terris, frende peila, vorte Fata perpera.  
 43 Utque Scymni, cara Prognos,  
 44 cum Para laetante gliscant,  
 45 et jocalis tensa vitae  
 46 horcta, lixabunda currat ;  
 47 senticosis ne vehai.  
 48 O Tenite, neve falla siris implicisciet.  
 49 Quo polos indulcitasti,  
 50 huberis procelle lactem.  
 51 Fama namque cymbalissat,  
 52 qua cohum patale claret ;  
 53 lacteam veham fluenter  
 54 Isse sub te mammeata Numinis feretria,  
 55 Mater habra : si pesestas  
 56 saevit, aut pulcrale bellum ;  
 57 occecurre Nubicogo,  
 58 Nesigyna crispisulcum  
 59 motuet tremenda fulmen ;  
 60 seu nivit, tunc nihil paviscam ; seu tonit, seu fulgurit.  
 61 Sic tibi puellus incept  
 62 Leucus atque Burrus ille,  
 63 adsipet, didatque gnatus  
 64 mille suctus basiorum,  
 65 milliesque glucidatos.  
 66 Vinnulus resultet ore suaviato cottabus.  
 67 Solla Bella, sic tuere,  
 68 cujus haec Camena vatis  
 69 lusit axamenta casca.  
 70 Solla Malta sic focilla  
 71 Alsatam te propter Oscum :  
 72 solla Bella, solla Malta, solla Nympe Malthaca.

**Ad Illustrissimum et Excellentissimum Comitem, CLAUDIUM MEMMIUM, Gall. Legatum.**

05\_1 v.1 Sat datum, Memmi, nisi fallor, Oscis.  
 2 Semper Attellae maneam poeta !  
 3 Barbarum quo me rapiet loquendi  
 4 dira libido !  
 5 Ista dicentem sopor occupavit.  
 6 Non sopor, qualem creat oscitantis  
 7 frigus ignavum senis in cubili, aut  
 8 molle papaver.  
 9 Laureis tempus foliis perunctum



10 potat illapsam subito quietem.  
 11 Quae tamen non sit nebulosa nigrae  
 12 Mortis imago.  
 13 Visus in somni vigilantis umbra  
 14 flavus intonsi juvenis capilli,  
 15 et pharetratus (nec habebat alas)  
 16 talia fari.  
 17 Fonte peccasti. Scelus expiato  
 18 fontis admissio melioris usu.  
 19 Ennii tetros alio liquore  
 20 corrige ructus.  
 21 Hoc (et ostendit) neque tu Falernum  
 22 in Scypho speres, neque Formianum.  
 23 Nam Mosellani madet uva Bacchi,  
 24 nobilis uva.  
 25 Diluit curas, medicatur aegris,  
 26 roborat vires, animum relaxat.  
 27 Crebrius nullo solet ex racemis  
 28 Memmius uti.  
 29 Hoc scias usum ; quoties amicae  
 30 te propinavit Procerum Coronae ;  
 31 hospites urgens hilares tuae li-  
 32 tare salutis.  
 33 Miscui nostri quoque de caballi  
 34 ungue manantem sine faece lympham.  
 35 Spiritus venae resides ciebit  
 36 Castalis unda.  
 37 Utque Romanos iterum Poetas,  
 38 sicut optavit chorus, aemuleris.  
 39 Addidi paullum Thyridos benigno  
 40 numine sparsi.  
 41 Muneris tanti pretiosa vis est.  
 42 Vix enim fundum vacuaris ; et jam  
 43 tota sub vultum cadet intuentis  
 44 Roma videnda.  
 45 His Scyphum dictis dedit in figura  
 46 lilii stantem, quod hiabat ore  
 47 molliter pando. Gravis umbilicum  
 48 vinxit ophites.  
 49 Stirpis insignes sacra Memmianae  
 50 gemma clarabat titulos, et ortum,  
 51 et notas ; et quae dare cumque possunt  
 52 hasta liberque,  
 53 Pallas et Mavors, Genus atque Virtus.  
 54 Vidimus Stellae radiantis ignes,  
 55 vidimus Lunam super ipsa ferri  
 56 astra bicornem.  
 57 Vidimus campum geminos Leones  
 58 praeliaturis perarare passu.  
 59 Cum suis Mater Phrygibus relictis  
 60 alma Cybele  
 61 viseret Gallos. Quia Memmiorum  
 62 Fama vulgarat Decus hospitale ;  
 63 fertur ipsorum subiisse solos  
 64 Diva Penates,  
 65 Ergo crinales aliquando Turres  
 66 fessa sinceris Laribus reclinat.  
 67 Solvitur currus ; juba beluarum

68                   pectitur auro.  
 69   Daps adornatur, fremit apparatu  
 70   tota clamoso Domus, et resultat.  
 71   Ebrii quassant Corybantes aera.  
 72                   Tibia mugit.  
 73   Omne de Terra genitrice carmen.  
 74   Tu creas fructus, hominesque portas ;  
 75   poma tu Gallis segetesque et uvas  
 76                   larga ministras.  
 77   Diva laudatrix abitura, dono  
 78   Memmiis agros et opes, suosque  
 79   Mater aurigas dedit. Haec avitae  
 80                   laudis origo est.  
 81   Plura conantem Genius coercens,  
 82   quid moras nectis renovande potu ?  
 83   Sume craterem, liquidumque inane  
 84                   ebibe, dixit.  
 85   Haurio sanctum Nihil ; et repletus  
 86   flore jucundae popa vanitatis,  
 87   me levi vino, levioere ventis  
 88                   proluo totum.  
 89   Ut voluptatem sibi quisque fingit !  
 90   Ut vapor siccus sapuit palato !  
 91   Mentis ut nostrae stomachum rigavit  
 92                   musteus aer.  
 93   Protinus faetens cutis Enniana  
 94   squalor abscessit, veterumque ruga ;  
 95   deque purgato cecidere turpes  
 96                   corpore squamae.  
 97   Qualis exsanguis tremebundus aevo  
 98   arte Medae recoquentis artus  
 99   fervido succis novus ex aeno  
 100                   prodiit Aeson.  
 101   Ingeni rursus face puriori  
 102   ridet, et clare jubar explicatur.  
 103   Mox steti Vates Latialis ante  
 104                   moenia Romae.  
 105   Qualiter parvae, simulacra rerum,  
 106   quae catervatim volitant per auras,  
 107   fusiles formae ; simul applicasti  
 108                   tectus opaco  
 109   vitrosos orbes ; tenebras amoenae  
 110   noctis ingressae, velut in theatro  
 111   mimus, objecta tremulae papyro  
 112                   lumina pascunt.  
 113   Haud secus distans oculo Poetae  
 114   (si nitet nostro bene lotus amni)  
 115   urbs, et in punctum tenuatus unum  
 116                   influit Orbis.  
 117   Urbis antiquae monumenta numquam  
 118   proximus muris propius viderem.  
 119   En Colossei caveam, sonantem  
 120                   plausibus olim.  
 121   Labe corruptum vitiavit Aetas.  
 122   Plurimae sedes aditum negabunt.  
 123   Magna pars sensim tumulata, rupto  
 124                   pondere, sidit.  
 125   Sic quoque est pulchrum. Juvat ante saxa

126 stare, quae foeda carie, situque,  
 127 attonant, noster tamen ipse vultus  
 128 tristius horret.  
 129 Ista Trajani celebris Columna !  
 130 Haec Titi ! Quanto sinuantur Arcus  
 131 inter, o fornix metuende, vallo.  
 132 Praeter eamus.  
 133 Ergo qui Septem resonant Maroni et  
 134 Tullio Montes, scopulosa Romae  
 135 terga, sunt isti ! Viden Esquilini  
 136 collis, Aventi-  
 137 nique formosos Apices. Maria,  
 138 major aestivis nivibus priorem  
 139 texit, Augusti lepidum secante  
 140 jura Decembri.  
 141 Unde me foetor violentus afflat !  
 142 Hic habent Verpi, genus obsoletum,  
 143 cujus ex gilva facie scelestus  
 144 prospicit hydrops.  
 145 Malo jam campum peragrare Florae,  
 146 quemque agonales male feriendo  
 147 Roscii complent. Italisve semper  
 148 ludere, vita est ;  
 149 vivere, an lusus ! Videas ubique  
 150 quos, quotos, quantos cupis histriones.  
 151 Ventre comoedos Thymele levata  
 152 mittit in aulas.  
 153 Ecce Pasquini statuam rubentem !  
 154 Te verecundi deceant colores !  
 155 Quem pudet dicti, sine, surda Cautes,  
 156 purpura tingat.  
 157 Quaelibet tecum, modo suspicaci  
 158 scribat infamem calamo tabellam,  
 159 Fama moechatur ; Nemesinque, et acres  
 160 parturit Iras.  
 161 Cerno Tarpeiae Juga summa Rupis.  
 162 Regnat expulso Jove verus illic  
 163 et Tonans certus. Nisi quod remittat :  
 164 fulmina votis.  
 165 Ture placatur. Mea, Vaticanum  
 166 paene per caelo. Cynosura salve.  
 167 Transiit quantam brevis in Triremim  
 168 cymbula Petri !  
 169 Et placet moles mihi. Fulget aurum,  
 170 fulget argentum. Temesaea passim  
 171 aera consurgunt ; Pariaeque calco  
 172 marmora crustae.  
 173 Quidquid admiror, stupeo. Propinqui  
 174 Pontifex aedes habitans Quirini  
 175 temperat totum Moderator Inno-  
 176 centius Orbem.  
 177 Purpuratorum veneranda Patrum,  
 178 pompa procedit. Tutuli superbis  
 179 nempe distinguunt ab equis fluentes,  
 180 murice tincti.  
 181 Thybri, te nostris citharis canorum,  
 182 ut libens coram tueor fluentem !  
 183 Parce praefixam temerare fluctu

184                   segrege metam.  
 185       Non minus Cryptas cupiam subire ;  
 186       si mihi sollers Ariadna filum  
 187       praevio ductu glomeraret ; et si  
 188                   Theseus essem.  
 189       Nunc ubi stamus ? Plateam vocari  
 190       audio Cursum. Procul esto Rufe ;  
 191       instat armentum, cave, bubalorum.  
 192                   pertica cogit.  
 193       Pallium cocco satur expavesce.  
 194       Sanguis aspectus furiat nocentes.  
 195       Stringit idcirco domitatque nares  
 196                   ferreus orbis.  
 197       Talis (en, ut Mors etiam coniscat !)  
 198       improbo currens et habente fenum,  
 199       ultimum gentis Fabium peremit  
 200                   bestia cornu.  
 201       Qui toga Corvos imitantur atra,  
 202       moribus Cygnos niveis ! Sodales  
 203       sun mei. Recta comitator illos.  
 204                   Ducite Vatem  
 205       per viam Marci, per et Angiportum,  
 206       dexteram versus. Ibi dedicatum  
 207       nomini Templum Superis tremendo  
 208                   insula monstrat.  
 209       Unicum Romae queror. Urit aestus.  
 210       Urit immensum. Liquefiat ensi,  
 211       sudet et pumex. Calor arva summus  
 212                   findit hiulca.  
 213       Strata se tellus aperit ; Memento  
 214       Roma jam saltem : quia tota pulvis,  
 215       pulvis es, pulvis ; reditura Fato in  
 216                   pulveris urnam.

**FRAGMENTUM FUNEBRIS ELOGII, IMPENSI PIIS MANIBUS ILLUSTRISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI VIRI, CLAUDII MEMMII**

05\_2    v.1       Dulce decus, Memmi, verus mihi nuntius ergo  
           2       venerat extinctum, fatoque extrema secutum !  
           3       Qui, licet immeritum, quamvis regione remotum,  
           4       et numquam visum me sic complexus amabas,  
           5       ut pia libares aegro soteria vati.  
           6       Nec frustra. Excusso surrexi denique morbo.  
           7       Nunc tamen ipse jaces ; nobisque trahentibus auras,  
           8       magnam animam efflasti. Sineret modo Parca, redemptum  
           9       morte mea cuperem. Quem non devinxerat ille  
 10       candor, et augustae laudata modestia frontis !  
 11       Ille lepor, gravitasque decens, probitasque severa,  
 12       et numquam fucata fides ; florensque venustas  
 13       eloquii ! Quas missus eras orator in oras,  
 14       implesti fama. Toto venerabilis ibas  
 15       virtutum comitante choro. Prudentia felix  
 16       miscuit arguto mitem serpente columbam,  
 17       Mercuriale decus. Capiti Deus addidit alas.  
 18       Tu quasi rex inter legatos, non quasi tantum  
 19       regius. Exhibuit talem sapientia vultum ;  
 20       tales suada modos. Promenti verba, fluebant  
 21       Romano patrioque favi Cicerone madentes.

22 Gallica facundis stillabant lilia labris.  
23 Lilia ! de quibus est oleum mirabile pacis  
24 expressum : qualique situs merearis inungi.  
25 Ungite Thespiades. Labor hic vos poscit ; eumque  
26 ultro suscipitis superat liquor iste Sabaeae  
27 messis odoriferas segetes, et balsama Cypri.  
28 Hoc oleo, quoniam pacem morientibus omnes  
29 optamus, decet in primis herois Avaxi  
30 imbutum, penitusque fragrans spirare cadaver.  
31 Spargite et ardentem casiam, ramosque cupressi.  
32 Castalii fontis laticem, et tus addite primum.  
33 Deinde super tumulum, functumque precantia verba  
34 dicite, suspensis sertis ; luctumque levate.  
35 Gallorum sublime jubar, generisque vetusti  
36 gloria, et o Mysis quondam dilecta voluptas,  
37 ultra non fuerat te digna Lutetia vivo.  
38 In qua livorem, vanis infecta susurris  
39 purpura ducebat, proprium tractura ruborem.  
40 Te caret urbs ; non tu, meliori sede receptus,  
41 urbe cares. Te Borbonio subnixa Senatu  
42 aula caret. Tibi Caelicolum de cardine summo  
43 panditur interea domus omnipotentis Olympi.  
44 Illic astrigeros animam collectus in orbem,  
45 hunc orbem, longaque diem sub nocte jacentem  
46 despicias, et totum veris te solibus imples.  
47 Jamque adeo nolis mutare aeterna caducis.  
48 Nam foret haec caeci, non permutatio Glauci.  
49 Nunc veris opibus dives ; praefectus et aeri,  
50 nunc vere torquatus eques, mucrone corusco  
51 aureus et fulgens, magnoque Orionis ense  
52 accinctus, rides nostri ludibria mundi.  
53 Bellorumque super frameas, atque arma cruenti  
54 Martis, et ancipites motus, aulaeque procellas,  
55 et refluos aestus, tempestatesque sonoras,  
56 quotquot in Euripo movit Concordia discors  
57 Westphaliae ; supra invidiam, casusque vicesque,  
58 sceptraque et aetates, procerumque immania vota  
59 altior, Europam partes metiris in omnes.  
60 Jamque vides, quas et quoties peragraveris urbes ;  
61 quae freta, quas terras. Hic laevum Cimbrica Tethys  
62 alterno fluctu quassat latus. Hic vada Balthis  
63 explicat, et classem, Suecosque ad vela paratos.  
64 Illic Sarmatiae fines, saltusque videntur  
65 Pannoniae, et campi frugum vinique feraces.  
66 Proxima sunt Thracum, subjectaque regna tiarae ;  
67 et Chalcedonias despectans Bosphorus arces.  
68 Hinc Melita, et Rhodos, et reliqui lustrantur Achivi.  
69 Spectas Italiam, madefactaque sanguine fratris  
70 moenia, et ex auro curvantem cornua Thybrim.  
71 Hic Ganges, hic unda Tagi lucentis, Iberque.  
72 Hic manat bicolor Rhenus ; te Sequana lambit.  
73 Sed jam vix guttae tibi flumina tanta videntur  
74 Oceanum ingresso, qui fundum et litora nescit.  
75 Sistite Thespiades. Cari quod Troius olim  
76 Aeneas viso Pallantis funere dixit,  
77 inclamo : salve aeternum, mihi maxume Memmi,  
78 Aeternumque vale.

**Nobili Amplissimoque Domino, D. GUILIELMO DE BLITTERSWICK,  
in supremo Geldriae Senatu Consiliario Regio, etc.**

05\_3 v.1 Te quoque nil dubitans, nostra invitante Camena,  
2 ocius in sacri penetralia confer honoris,  
3 Austriaco devote choro Guilielme. Secundis  
4 jamdudum auspiciis aditum tua facta merentur.  
5 Praelusum satis est fano, quod cura laborque  
6 incolit, ac rigidae pallens industria vitae.  
7 Contiguum, nunc tempus adest, invadere templum ;  
8 cujus et hoc anno, mitrae quo summa potestas  
9 aurea Romanae laxavit limina portae,  
10 En, iterum reserata patent, intrandaque dignos  
11 ostia suscipiunt. Ubi formosissima merces  
12 virtutis, solium sibi gloria fixit eburnum.  
13 Hinc tamen este procul luxus scelerumque ministri,  
14 quotquot et alba juvant pulvillis otia nigris,  
15 desidia pingues ac tantum repere natos.  
16 Acceleret gressus decorum non sordidus emptor ;  
17 quem vel glauca sua Pallas signavit oliva,  
18 vel Mars cristarum rubris insignibus ornat.  
19 Nempe laborandum est. Fructus ex semine pendent.  
20 Difficile ac pulchrum manibus consortia junctis  
21 instituunt. Quin palma virens et populus arbor  
22 Herculis, inclinant ad mutua foedera ramos.  
23 Semper erit vilis, quem non erexerit horror.  
24 Ossibus albentes campos Victoria vestit.  
25 Gaudet honor summo vestigia ponere clivo ;  
26 perque truces scopulos ac saxa minantia caelo,  
27 saltibus abruptis capreae de more vagatur ;  
28 pone sequi timidos, alto de vertice, dictis,  
29 ac medio digito, sannaque lacescere visus ;  
30 ardua tentantes complectitur obvius ulnis.  
31 Sic humiles ortu, nec opimae sortis alumnos,  
32 saepius ingenii felix solertia magnos  
33 reddidit, ac crebris nox intercepta lucernis.  
34 Sic in agro flavam reperit quandoque coronam,  
35 et non praevisos paupertas sedula fasces.  
36 Cum subito tauris Pyrenaeoque relicto  
37 vomere, lictoris propere mandata secutus  
38 centonem lacerum trabea mutavit arator ;  
39 inter laurigeras, projecta falce, secures  
40 Ausonio curru Tarpeiam vectus in arcem.  
41 At tibi quot titulis, procerum fortissime, templum  
42 debet honor nomenque suum ! Quos tramite secto  
43 praetendunt alii varios, tu colligis omnes.  
44 Nam si dispositis fumosa per atria ceris  
45 pondus inest aliquod, pretiosaque stamina secum  
46 natales et Fata ferunt ; magnumque putatur,  
47 per longam seriem torquataque funera nosci.  
48 Quis Blitterswycios non sanguine censet avito ?  
49 Intemerata suos cingunt monumenta nepotes.

50 Nobilitas a fonte fluit. Rubigine sacra  
 51 claras effigies stirpemque attollit origo.  
 52 Sed vacuae nil laudis eges, alienaque ducis  
 53 non tua, nec totum debes Majoribus assem.  
 54 Ipse decus generi multo cumulatus afflas.  
 55 Te pietas, te cana fides, jucundaque mitis  
 56 temperies animi, manans ceu limpidus amnis,  
 57 praeripiunt circumque meant te gratia fandi,  
 58 et Themis, et firmo nitens Prudentia talo  
 59 ante omnes illustrat avos. Pars strenua vitae  
 60 impensa est studiis. Habuerunt singula justam  
 61 tempora mensuram : semper Sapientia primas.  
 62 Responditque operae successus. Callet, opinor,  
 63 cuncta quidem nemo ; sed tu paucissima nescis.  
 64 Jactent se se aliae dotes : haec gaza triumphat.  
 65 Ulterius nequeunt humanae tendere vires.  
 66 Cecropii praecepta senis, monitusque silentis  
 67 Pythagorae, et magni caelestia sensa Platonis  
 68 intra animum censu gemino clauduntur eundem.  
 69 Historias memorem ? Se vindicat omnis in uno  
 70 pectore, praecipitis leti secunda vetustas,  
 71 excubiis defensa tuis. Ne dente recisum  
 72 Saturni perest, passumque obliviam foedae  
 73 noctis agat rimas ; doctum tibi supplicat aevum.  
 74 Quippe alios ritus et prisca revolvere secla,  
 75 sunt tabulae testes, inscripti nomina Fasti  
 76 Pontificum, praelo quales Antverpia sanxit.  
 77 Quis vigor astrorum similes referentibus ortus  
 78 consiliis ! Subito cum Curia lumine mentis  
 79 fulgurat, et pulsa caligine discutis acta.  
 80 Ore tenus quoties sententia subsilit anceps ;  
 81 cum tua succedunt dubiis oracula rebus,  
 82 momentis librata suis ; nil additur ultra.  
 83 Orando finem facis, assurgente Senatu.  
 84 Sin lites subeant, alternaque jurgia raucus  
 85 accendat praeco ; placidi moderamine juris  
 86 occurrens, facili componis dissona nutu ;  
 87 concentumque facis legum morumque tenore.  
 88 Non favor obliquat caussam, non cogit in arctum  
 89 asperitas. Lancem facundia vergit in aequam.  
 90 Jamque videbaris tantus juvenilibus annis,  
 91 cui credi possent vix concedenda senectae.  
 92 Hoc Tagus exsultans devinctaque Geldria novit.  
 93 Quo memor officii regem defendis Iberum,  
 94 profluit eloquium fluctu torrentis Iberi ;  
 95 opportuna salus patriae. Si quando volantes  
 96 turbavit Leo Belga juba, ac bella minatur ;  
 97 nemo reconcinnat subductis aptius armis.  
 98 Pacem in fronte geris. Sedet illic plana Voluptas  
 99 absque supercilio, tetricae bene nescia rugae,  
 100 et spirat blandas, mulcentia numina, Musas.  
 101 Hinc amor, et nostras non aspernata cupido.  
 102 Si tamen applausus docilis non fingere vanos,  
 103 vera subobscura cantanti rettulit Echo.  
 104 Stat suus Alsatiae per te, Guilielme, poeta ;  
 105 atque hederis crines involvere mollibus audet.  
 106 Quali acumque manu vel carmina voce movemus,  
 107 sumis eo vultu, quo ver optata reducit

108 germina, quo ridens gemmantes ventilat uvas  
 109 Liber in autumnno. Pellit quo nubila Phoebus,  
 110 percutit aut citharam : placatus fulmina ponit  
 111 Juppiter, iratum Neptunus mitigat aequor.  
 112 Scilicet haec nimia est macri fiducia vatis ;  
 113 votaue per Somnum deceptus inania lambo.  
 114 Atqui ego te juxta spatiantem flumina vidi,  
 115 Cum legeres silvas noviens radice retortas,  
 116 quales Aoniis in versum panximus arvis.  
 117 Ac nuper primum curis mensisque remotis  
 118 post epulas, nostrae subeuntem florida Cirrhae,  
 119 nexaque lustrantem peregrinaeserta Thaliae,  
 120 eminus, et spatiis quamquam divisus iniquis,  
 121 Landishutanae spectavi e culmine turris.  
 122 Qua si Fama nihil media sublimius aura  
 123 suspicit, et volucres vinci nubesque fatentur,  
 124 desine mirari, stantem fastigia supra,  
 125 dum liquidus puris tralucet solibus aer,  
 126 longo posse procul distantia stringere visu.  
 127 Adjuvit mirum, crystallus splendida, munus.  
 128 Illud enim vitrum, mea quo soteria quondam  
 129 libasti, vatis redivivi tactus amore ;  
 130 clam tibi surreptum studii melioris in usus  
 131 transtulit ; et, posthac oculis, non amplius ori  
 132 serviet atque gulae, festivus dixit Apollo.  
 133 Protinus in certos divino pollice gyros  
 134 vertit ; et aérias, simulacra vagantia, formas  
 135 hausturo laevem multa dedit arte figuram ;  
 136 tamque diu nitidum volvens exegit ad unguem,  
 137 donec abundantia fulgore feriret, et unum  
 138 in punctum flueret radiorum copia torrens ;  
 139 admovitque mihi nunc prodigialiter illo  
 140 omnia, ceu coram praesentia, metior absens ;  
 141 trans juga, trans umbras nemorum porrectus, et urbes,  
 142 spumosique sinus maris extremosque recessus.  
 143 I nunc, et patulam virtutem abscondere tenta.  
 144 Cur autem verbis gradientem ad summa retardo ?  
 145 Nulla mora est. Invitat Honor. Differre nocebit.  
 146 Festina. Certis vocat incluta Gloria signis ;  
 147 exspectatque suum sudoris filia civem.  
 148 Irrubuit supremus apex. Tremat, ecce, corusca  
 149 purpureis foribus stellataque panditur aula.  
 150 Siderei strident in verso cardine postes.  
 151 Caesareas aquilas et sceptramicantia cernis ?  
 152 Aude aliquid : celebremque domum cum Regibus intra.